

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0144

0142

0148

0138

0153

0133

0193

0093

0243

0043

0643

Ende

Anfang

133

ferocium armatorum invenissent, nec fuit, qui aliquam tangere ausus esset, sed eas intactas de monasterio et civitate repulerunt, quae cum aliis Christianis expulsis in partes fidelium navigaverunt, reportantes praeclarum et perenne testimonium suae castissimae et illibatae fidei. Sic, sic decus servatur foemineum, virginitatis thesaurus custoditur, pudicitiae cordis testimonium redditur, et profecto monstratur, quomodo non satis sit ad cordis sinceritatem testandam lacrymis et querelis se violentiam passuram dicere, nisi quis in vindictam egregio procedat opere. Hoc Lucretiam urbicam pudicitiae ducem fecisse veterum commendant historiae, quae se ipsam jugulavit in testimonium pudicitiae. Sic et Hypo, mulier graeca a piratis capta, eo quod spectabilis pulchritudine polleret, quae inter consilia praedonum suae pudicitiae contraria cum cerneret, se non posse decus castitatis servare, nisi per mortem, non exspectata violentia in undas se praecipitem dedit, ut sublata vita pudicitia servaretur. Sic conjux Trigigantis, quae in ergastulo posita et catena ligata militem volentem se violare interemit. Sed et Penelope, Ulyssis uxor, arte industri precantes nobiles suspendit, sique fidem marito servare studuit. Sic Cimbrorum foeminae se suosque infantulos laqueis curruum [suspendentes] vitam sibi extorsere amore pudicitiae. Et Amazones spreto decore, et superata mollitie foeminei corporis, arma inducere, et auream caesariem tegere galea, et latus muniere pharetra, et militari ritu currus et equos ascendere, et pro defensione castitatis regibus et tyrannis gravissima bella intulere. Insuper castitatis lillum, Susanna, filia Helechia, uxor Joachim, ad supplicium mortis properavit potius, quam pudicitiae frenum solveret. Sic S. Brigitta, pulcherrima, Deum pro deformitate vultus deprecata est, ut pudicitiam facilius conservaret. Sic et aliae quam plures Christi virgines superata fragilitate sexus duos cruciatus corporis pertulerunt pro castitatis decore. Harum autem omnium exemplo monachae nostrae et nunnae, de quibus iam est sermo, informatae pariter et confortatae, nova arte edoctae a Spiritu Sancto, pudicitiae hostes delusere, ita, quod nec se nec alios interemerunt, innocentiam tamen nihilo minus conservarent, et imitandum exemplum post se relinquenter omnibus

